

quæ æterna est, obliviscere. Nunquam miserendi à nobis affectum averte. Te enim nos deserente, ut favilla & funus perimus. Peccavimus omnes, & sine te resurgere ex peccato non possumus. Erravimus à via, & sine te duce eluctari ex deviis non possumus. Ceditimus in foveam, & manum te nobis haud porrigente eluctari ex miseria non possumus. Fac, ut quotidianorum lapsuum memores misericordiam tuam quotidie imploremus. Ut errorum nostrorum periculo admoniti veritatis tuæ semitam sine intermissione quæramus. Ut quia in foveam prolapsi nostris viribus resurgere non possumus, tuo auxilio nos elevemus. Peccata nostra ante oculos nostros quotidie siste, ut remissionem eorum quærere nunquam obliviscamur. Lapsus nostros menti nostræ quotidie inscribe, ut ad te resurgendum esse ceu perpetuo monitore impellamur. Miserationes tuas pectoribus nostris imprime, ut ad gratiæ tuæ desperationem nunquam adigamur. Convertite nos, Domine, ut convertamur. Trahe nos ad te, ut poenitentiam agamus. Consolare nos, ne desperemus. Sis memor misericordiæ tuæ, & peccata nobis nostra remitte. Memento passionum Filii tui, utque illas salutari fiducia amplectamur, Spiritus tui virtute effice. Mitte in præcordia nostra Spiritum tuum, qui ad vitam sanctitati tuæ præsentem nos inflammet. Da, ut tuis in nobis motibus nunquam reluctemur. Ut gratiæ tuæ divitiis ad sanctiora semper inflammemur. Ut è gratia & amore tuo nunquam excidamus. Ita à te, Pater, tuoque amore nunquam divellemur. Ita tuis meritis & beneficiis, ô Fili, æternum perfruemur. Ita tuis, ô Sancte Spiritus, ductibus tantorum beneficiorum nunquam faciemus jacturam. Tuo nomini, ô DEUS, sit & laus & honor & gloria in nunquam terminanda secula!

# FINIS.

